
Lingua Anglica

Lingua Anglica vel **Lingua Anglicana**[1] est lingua ex linguis Indoeuropeis et sub familia linguae Germanicae Occidentales subsummata.

Lingua Anglica English	
IPA:	[ˈɪŋglɪʃ]
Taxinomia:	Linguae Indoeuropaeae Linguae Germanicae Linguae Germanicae Occidentales **Lingua Anglica**
Locutores:	322 000 000
Sigla:	1 en, 2 eng, 3 eng
Status publicus	
Officialis	Britanniarum Regnum, Civitates Foederatae Americae, Canada, Australia, Hibernia (res publica), Iamaica, Nova Zelandia, Nigeria, Africa Australis, Zimbabua, Kenia, multae aliae
Privata	permultae civitates
Litterae:	
Scriptura:	Latina
Procuratio:	*nulla*



Familiae linguisticae coloribus Vicipaedicis pictae

Potestatis Britanniarum regni et Americae per saecula XVIII-XX in rebus oeconomicis, militaribus, et culturalibus certeque dubio vel verbo vel actu colonialismi causa, lingua Anglica fere ubique terrarum dispersa est. Quamobrem lingua Anglica est lingua materna tertia in usu, secundum Mandarinicam et Hispanicam,[2][nb 1] et facta est *lingua franca* hodierna. Multis in nationibus, etiam ubi lingua Anglica non est lingua publica, programmata televisifica et pelliculae, quae maxima parte ex America exportantur, vocibus non transmutatis transmittuntur, quorum spectatores, etiamsi sua lingua legentes, linguam Anglicam ab pueritia auscultant.


Origines linguae Anglicae omnino sunt Indoeuropaeae. Cum saeculo quinto Angli in insulas Britannicas primum invadere coeperent, dialectus Britannicae et linguae Goidelicae multae cum acrolectibus? linguae Latinae adhibebantur. Linguae et dialectus Anglorum, hodie omnes una sub lingua Anglica antiqua ordinatae, cum linguis indigenis aliquomodo commiscentes, gradatim usu superaverunt. Vicingi intulerunt suam linguam saeculis octavo et nono.

Normanni invaserunt anno 1066, qui annus est quasi initium historicum transitioni ab lingua Anglica media in hodiernam. Lingua Normannica structuram vocalium linguae Anglicae mediae omnino mutavit et Normanni suam orthographiam ad linguas scribendas imposuerunt. Normanni quoque intulerunt linguam Latinam secum rursum in Britanniam, nam lingua Latina fuit eo tempore *lingua franca* et omnis Europae lingua academica.

Lingua Anglica hodierna medio saeculi sexti decimi fere perfecta est. Fabulas Gulielmi Shakespearii, circum initium saeculi septimi decimi scriptas, locutores linguae Anglicae ut lingua materna magna parte intellegere possunt; lexicon satis dissimile est, syntaxis grammaticaque parum.

Lingua Anglica putatur habere plus verborum omnium linguarum, plus quam 500 000 verba, terminis technicis exceptis, plus quam 1 000 000, inclusis.

Index




Color caeruleus indicat regiones in quibus **lingua Anglica** est lingua publica et late adhibita, subcaeruleus autem ubi est lingua officialis, etiamsi non a maiore parte adhibita.

Loci

Homines lingua Anglica hodie non utuntur in Anglia sola, sed etiam in Hibernia, Scotia, Cambria, Civitatibus Foederatis Americae, Canada, Australia, Nova Zelandia, Iamaica, Africa Australi et aliis partibus Africae, Indiae, et nonnullis Asiae regionibus.

Origo

Vide: Lingua Anglica Antiqua



Pondera in vocabulario Anglico

Lingua Anglica antiqua a linguis Germanicis oritur, quas dicebant nationes Germanicae quae in Angliam a saeculo 4 ad saeculum 6 immigraverunt. Anglia a Vicingis saeculis nono, decimo, undecimoque populata, lingua Anglica a lingua Nordica antiqua attacta est. Anglia a Normannis ab anno 1066 victa, lingua Francogallica lingua regia et legitima facta est. Lingua Anglica quotidiana ita plurimas verbas Francogallicas sumpsit, quarum origo saepe erat Latina; exempli gratia, *court*, *chivalry*, *castle*.

Litteris artiisque renatis, scriptores Anglici plurima verba Latina acceperunt (exempli gratia, *habitat*, *memento*, *dictum*). Tribus ergo fontibus (Germana, Francogallica, Latina) ita in unum confluentibus, lingua Anglica hodierna saepe praebet tres verba, Germanicum Francogallicum Latinum, ad rem unam designandam. Exempli gratia: *ask* (ex fonte Germanico), *question* (ex Francogallico), et *interrogate* (ex Latino), quae omnia 'rogare' significant. Praeterhac, sunt verba quae lingua Anglica ter mutavit, videlicet *reason* (Francogallice *raison*, ex Latino verbo *ratio(nem)*) simul cum *ratio* (verbum Latinum tardius usurpatum). Etiam aetate nostra verba quaedem Latina in linguam Anglicam accipiuntur, exempli gratia *computer* (ex *computando*).

Hodie constat plus quam dimidiam partem verborum Anglicorum ab origine Francogallica vel Latina vel Graeca ortam esse; verba tamen quotidiana Germanicae originis, sicut *the*, *father* et *home*, frequentius dicuntur.

Lingua cognata

Cum linguis Anglica antiqua, Saxonica, Frisica, Theodisca, et Batava bracchium occidentale linguarum Germanicarum conformat.

Grammatica

Quod casus Latini efficiunt, efficitur lingua Anglica a praepositionibus, quae indicant relationes inter verba. Positio verborum pergravis est: prima regula syntaxeos Anglici est quod subiectum ante praedicatum, praedicatum ante obiectum poni debet.

Casus

Inflexio linguae Anglicae simplicior est inflexione Latina, casus modo tres praebens: nominativum, genitivum, obiectivum. Hic casus obiectivus constat ex casibus dativo accusativo ablativo, quos omnes lingua Anglica antiqua habetur. Obiectivus casus forma differt nominativo in praenominibus personalibus reflexivisque tantum.

> ***I*** *killed the dog*
> **ego** necavi canem

sed

> *The dog killed **me***
> canis necavit **me**

Casus genitivus phonemate /s/ sive /z/ sive // pronuntiatur, littera et diacritica ***-'s*** scribitur vel tantum diacritica **-'**, si verbum iam in *s* terminatur. Id est contractio terminationis genitivae in lingua Anglica media -*es*.

> *John has a book. It is John'**s** book.*
> Ioannes habet librum. Est Ioann**is** liber.

Distinguitur tamen numerus singularis a numero plurali, eadem cum phonematibus eisdemque cum regulis casus genitivi et quoque in fine verbi. Si verbum etiam in ***s*** terminatur, scribitur ***-es***

Casus obiectivus semper praepositionem sequitur.

Pauca verba sunt quae genera habent; interdum putantur automobilia navesque feminine esse generis, quamquam flexione hoc non videtur. In praenominibus personalibus singularibus distinguuntur tria genera: *he* (ille), *she* (illa), et *it* (id).[nb 2]

Exemplum

Initium soliloquii celeberrimi ab Amleto in *Amleto, Principe Daniae* ludo scaenico dicti:

Anglice

> To be, or not to be: that is the question:
> Whether 'tis nobler in the mind to suffer
> the slings and arrows of outrageous fortune;
> or to take arms against a sea of troubles,

and by opposing end them?

Latine

Esse aut non esse, illa est quaestio.
Estne dignior vel in mente pati
insidias sagittasque fortunae malignae,
vel arma contra aerumnarum mare accipere,
oppugnandoque, eas incidere?

Nexus interni

- *The American Language*
- Amicus falsus
- Essential World English
- Globish
- Index aequivalentium linguae Anglicae Germanicorum Latinorumque
- Lingua Anglica Americana
- Lingua Anglica Antiqua
- Lingua Frisica
- Lingua Scotica
- Linguae Civitatum Foederatarum
- Litterae Anglicae
- Litterae Civitatum Foederatarum
- Newspeak
- Societas pro Textibus Anglicis Antiquis
- Vicipaedia Anglica simplex

Notae

1. Lege subter de difficultate in usus linguarum ordinando. Discrimen inter linguas et dialectus sicut inter gradus peritiae sive alphabetismi est saepe obscurum.
2. Quia genera fere omnino in lingua Anglica absunt, *it* est potius inanimatum quam neutrius generis.

Citationes

1. Samuel Johnson, subtitulus poematis "ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ": "Post Lexicon Anglicanum Auctum et Emendatum" (1772).
2. Ethnologue, 1999 (http://web.archive.org/web/19990429232804/www.sil.org/ethnologue/top100.html)

Bibliographia

- Baugh, Albert C., et Thomas Cable. 2002. *A history of the English language.* Editio quinta. Routledge. ISBN 0-415-28099-0.
- Bragg, Melvyn. 2004. *The Adventure of English: The Biography of a Language.* Arcade Publishing. ISBN 1-55970-710-0.
- Cercignani, Fausto. 1981. *Shakespeare's Works and Elizabethan Pronunciation.* Oxoniae: Clarendon Press.
- Crystal, David. 1997. *English as a Global Language.* Cantabrigiae: Cambridge University Press. ISBN 0-521-53032-6.
- Crystal, David. 2003. *The Cambridge encyclopedia of the English language..* Editio altera. Cantabrigiae: Cambridge University Press. ISBN 0-521-53033-4.
- Crystal, David. 2004. *The Stories of English.* Allen Lane. ISBN 0-7139-9752-4.
- Halliday, M. A. K. 1994. *An introduction to functional grammar.* Editio altera. Londinii: Edward Arnold. ISBN 0-340-55782-6.

- Hayford, Harrison, et Howard P. Vincent. 1954. *Reader and Writer.* Houghton Mifflin Company.
- Kenyon, John Samuel, et Thomas Albert Knott. 1953. *A Pronouncing Dictionary of American English.* Springfield Massachusettae: G & C Merriam Company.
- McArthur, T., ed. 1992. *The Oxford Companion to the English Language.* Oxoniae: Oxford University Press. ISBN 0-19-214183-X.
- Plotkin, Vulf. 2006. *The Language System of English.* BrownWalker Press. ISBN 1-58112-993-9.
- Robinson, Orrin. 1992. *Old English and Its Closest Relatives.* Stanford University Press. ISBN 0-8047-2221-8.

Nexus externi

Vicimedia Communia plura habent quae ad **linguam Anglicam** spectant.

Lege de **lingua Anglica** in **Vicilibris**.

Linguae Germanicae

Maiores linguae novissimae	Batava Capitensis · Danica · Batava · Anglica · Theodisca · Norvegica · Suecica · Iudaeogermanica
Minores linguae novissimae	Faeroensis · Frisica · Islandica · Luxemburgica
Extinctae linguae	Anglosaxonica · Burgundica · Crimaeo-Gothica · Francica · Gutnica antiqua · Gothica · Langobarda · Nordica antiqua · Noroena · Protonordica · Saxonica antiqua · Vandalica
Regionaliter recognitae linguae Germanicae	Bavarica · Limburgica · Saxonica · Saterlandiofrisiana v. Septentriofrisiana · Germano-Scotica · Ulsterica

Grammaticae

Anglica · Cambrica · Interlingua · Latina · Slovena